



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Doctor Mellifluus S. Bernardus Magnæ Matris Cultor
Eximius, Et Ex Ordine Sancti Benedicti Sacellanus
Quartus. Sive Ea quæ Doctor mellifluus de laudibus
Virginis Matris scripsit in gratiam magnæ ...**

Bernardus <Claraevallensis>

Nevhsii, MDCLXXV.

Ex Sermone III. In Assumptione beatae Mariae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37156

mendavi, ego ut facerem quod docui, & exemplo essem aljis, ut patrem honorarem, in terram descendi: nihilominus ut matrem honorarem, in cœlum reascendi. Ascendi & præparavi ei locum, thronum gloriæ: ut à dextris Regis regina coronata consideat in vestitu deaurato, circumdata varietate: Neque hoc dico quod in parte thronus ei collocetur: quin potius ipsa erit thronus meus. Veni igitur electa mea, & ponam in te thronum meum. In te mihi quandam regni sedem constitutam, de te judicia decernam, per te preces exaudiam. Nullus mihi plus ministravit in humilitate mea. *Communicasti* mihi præter alia quòd homo sum: communicabo tibi quòd Deus sum. Flagitabas osculum oris, quin imò tota de toto osculaberis. Non imprimam labia labjis, sed spiritum spiritui osculo perpetuo & indissolubili. Quia concupivi speciem tuam, etiam desiderantiùs quàm tu meam, nec satis glorificatus videbor mihi, donec tu conglorificeris.

Gloria tibi Domine Iesu, subintulit chorus Angelorum. Gloria tibi Domine Iesu, ingeminet cœtus fidelium. Glorificatio Matris tibi proficiat ad gloriam, nobis ad veniam: te præstante cui est honor & gloria, per omnia secula seculorum. Amen.

EX SERMONE III.

In Assumptione beatæ MARIÆ.

§. tertius.

In omnibus requiem quæsvi.

SI quis tamen curiosius inquirere velit, cujus potissimùm vox illa sit, *in omnibus requiem quæsvi*: vox est utique Sapientiæ, vox est Ecclesiæ, vox est Mariæ, vox est cujuslibet sapientis animæ. *Sapientia* in omnibus requiem quæsvit, sed in solis humilibus

bus invenit. *Ecclesia* in omnibus mundi nationibus requiem quæ-
sivit, sed in solis credentibus invenit. *Maria* sicut & quælibet fi-
delis anima, in omnibus actionibus suis requiem quæsit, sed
hodiè demùm invenit, cum post persecutionem Herodis, & fu-
gam *Ægypti*, post tot insidias & atrocitates Judaicæ impietatis,
post tot passiones suas de passione & morte Filij: postquam tot
& tam acerbi illius animam pertransierunt gladij, tandem ho-
diè dicere datum est ei, Psal. 114. *Convertere anima in requiem
tuam, quam Dominus benefecit tibi.* Qui creavit me, creatus ex me,
requievit in tabernaculo corporis mei, negare non poterit mi-
hi requiem cœli sui. Qui enim gratiam ultrò cumulat aljis, par
pari quomodo non referet Matri? Perge *Maria*, perge secura in
bonis Filij tui; fiducialiter age tanquam Regina, Mater Regis &
sponsa. Requiem quærebas, sed amplioris gloriæ est, quod tibi
debetur, regnum & potestas: Indivisum habere tecum cupit im-
perium, cui tecum in carne una, & uno spiritu indivisum fuit
pietatis & unitatis mysterium: dum scilicet salvo honore natu-
ræ, geminato munere gratiæ, juncta est Mater in matrimonium.
Requiesce igitur, ô felix, inter brachia Sponsi, replicabit tibi
(ni fallor) inter amplexus & oscula, quàm suaviter requieverit
in tabernaculo corporis tui, quàm suavis in cubiculo cordis tui.
Non est injustus Deus, ô Fratres, ut obliviscatur operis boni,
vivit semper apud eum memoria beneficij semel accepti. Bea-
tus apud quem Deus vel semel requiem invenerit, in cujus ta-
bernaculo vel horâ unâ requieverit.

SERMO IV.

In Assumptione beatæ MARIE.

Maria optimam partem elegit.

HOc de Maria sorore Marthæ scriptum est: sed in Maria
matre Domini hodiè pleniùs & sanctiùs impletum est. Ho-

Dd 2

diè